

DISPUTATIO VII.

De Gratia Christi.

Dūplex in Christo fuit gratia substantialis & accidentalis; substantialem vocamus, quæ non ab aliqua forma accidentali, sed ab ipsa persona Verbi provenit. Accidentalem verò illum gratiæ sanctificantis habitum in humanitate Christi receptum, qui describitur: qualitas supernaturalis animæ immediatè impressa, quæ ex natura sua constituit hominem gratum Deo, & est participatio naturæ divinæ omnibus virtutibus supernaturalibus prior eorumque radix & fundamentum.

QUÆSTIO I.

An & quomodo & cur in Christo sit gratia substantialis & habitualis?

Christi substantialem Gratiam negare videtur Scotus in 3. Sent. Dist. 2. Q. 1. contra quem

DICO 1. *Si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas... gratum seu acceptum aliquem habens unio incarnationis facta est per gratiam... per incarnationem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinæ nature, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinæ nature in persona filii. S. Th. hic Q. 2. a. 10. O. & ad 1. Sive ipsa natura divina Christum propter unionem hypostaticam pro priore naturæ ad omnem accidentalem gratiam reddebat substantialiter sanctum.*

Probatur 1. Ex S. Anselmo L. 2. Cur Deus homo cap. 10. *Homo ille, qui idem ipse Deus erit,*
quo.

quoniam omne bonum, quod ipse habebit, à se habebit, non necessitate sed voluntate & libertate & à se ipso justus & idcirco laudandus erit. Quamvis enim humana natura à divina habeat, quod habebit, idem tamen ipse à seipso (quoniam due nature una persona erunt) habebit. Quibus S. Anselmus probat impeccabilitatem necessariam Christi ex unione substantiali humanitatis cum natura divina in eadem persona; Ergo persona Divina reddit naturam humanam impeccabilem, ergo etiam sanctam: Sanctitas enim est immunitas ab omni peccato, similiter loquuntur SS. Patres.

Probatur 2. Hac ratione fundamentali: humanitas Christi vi unionis hypostaticæ, antecedenter ad gratiam habitualem, habuit effectus formales sanctitatis & gratiæ; ergo fuit formaliter sancta; Antecedens probatur: Primus effectus gratiæ est, quod reddat subjectum Deo gratum; sed humanitas Christi per unionem hypostaticam reddebatur Deo grata, ita quidem, ut omnes ejus operationes essent infiniti valoris, & cum amor Dei sit effectivus, non supponens, sed causans bonitatem in objecto, illam humanitatem utique diligebat, cui dabat excellentissimum donum, eam assumendo ad propriam subsistentiam. 2^{us} effectus est: facere consortem divinæ naturæ, hoc facit unio hypostatica, non participatione tantum accidentali, sed substantialiter, quatenus natura divina mediante persona Verbi humanitati conjungitur. 3^{us} effectus est: constituere Filium Dei, gratia unionis constituit Christum verum Filium Dei naturalem, conjungendo humanæ naturæ substantialem & æternam filiationem. 4^{us} effectus est: tribuere jus ad hæreditatem æternæ vitæ, quod tribuit unio constituendo Filium Dei naturalem, ac ita dando majus jus

jus ad hæreditatem, quam dat gratia habitualis, quæ facit solum Filium Dei adoptivum. & tus effectus est: ordinare ad ultimum finem, & cum eo conjungere, quod etiam præstat gratia unionis, reddendo Christum simpliciter impeccabilem & indefectibilem ab ultimo fine.

Obj. 1. Effectus formalis nequit haberi sine forma: cum sit ipsa forma communicata; esse sanctum simpliciter est effectus formalis gratiæ habitualis; ergo nequit haberi sine gratia habituali.

R. Distinguendo *Mi.* Esse sanctum sanctitate substantiali & personali est effectus gratiæ habitualis *N.* esse sanctum sanctitate accidentali est effectus gratiæ habitualis *Con.*

Obj. 2. Quod sanctificat, formaliter rectificat animam ejusque potentias in ordine ad rectè operandum circa finem supernaturalem; sed quod rectificat animam, debet recipi in anima, & esse principium quo operationum animæ, quod non potest tribui subsistentiæ divinæ, quæ est purus terminus.

R. Quod rectificat animam per modum principii quo operandi recipitur in anima *Con.* per modum principii *quod N.* cum enim operari sit suppositorum, à subsistentia divina ut principio *quod* desumitur prima & substantialis animæ rectitudo ad operandum, vi cujus anima ita determinatur, ut nequeat defectuosè operari & aliquod peccatum admittere.

Obj. 3. Unio hypostatica potest dari creaturæ irrationali vel homini in puris naturalibus constituto; hi non erunt Sancti sanctitate substantiali; ergo unio hypostatica non dat sanctitatem substantialem.

R. Hi erunt Sancti sanctitate, cujus sunt capaces.

ces, ità ut creaturæ irrationales denominarentur sanctæ sanctitate quadam generali, qualem in triduo mortis habuit corpus & sanguis Christi, natura humana in puris naturalibus esset sancta sanctitate personali personæ divinæ, & licet nullam haberet sanctitatem accidentalem, foret tamen Deo grata, impeccabilis contrà finem ultimum naturalem.

Obj. 4. Sanctitas formalis facit eum, quem sanctum facit, acceptari ad æternam beatitudinem; hoc non facit subsistentia terminans naturam humanam: quia non obstante hac terminatione posset Christo negari gloria.

R. Sanctitas formalis facit sanctum acceptari ad gloriam, quantum est de se, quoad sufficientiam & proportionem. Con. facit acceptari ad gloriam indispensabiliter quoad efficaciam. N. debita quidem est naturæ subsistenti subsistentiâ divinâ æterna gloria; Deus tamen pro suo supremo Dominio & libertate potest gloriam denegare & beatitudine privare: cum enim illa in operatione intellectûs consistat, ad illam potest denegare concursum.

Obj. 5. Licet subsistentia divina sit omnipotentia, immensitas, æternitas, non tamen facit naturam subsistentem æternam, omnipotentem, immensam; ergo licet sit sanctitas, non facit naturam subsistentem sanctam.

R. N. Consequentiam: Quia forma eminenter continens plures perfectiones, illas communicat suo susceptivo, quarum est capax; natura autem creata non est capax, ut fiat æterna, omnipotens, immensa; unde licet subsistentia divina sit omnipotentia &c. hanc tamen non dat naturæ, cui intimè unitur. Natura autem creata est capax, ut

com-

compleat
cum subsi
stias, si u
perficere &
DICO
precedens
dam propri
Sive pra
ho gratia h
Probatur
trivum est ca
quas causæ
talis effectû
animas &
quam unica
pa hujus C
am recipit
do: Ne
fectio nulla
maximum e
ficans est in
perfectio,
bit ex soluti
rio: Pe
causa, nisi h
la; sed gra
fectus per C
ta, & ips
sumam co
nde Joan.
prium qua
veruatis, C
Obj. 1.
tam emine
ol, quia e
Pars 1.

compleatur, terminetur, sanctificetur, quocirca, cum subsistentia divina sit in se perfectio & sanctitas, si uniatur humanitati, non potest eam non perficere & constituere formaliter sanctam.

DICO 2. *Gratia habitualis non intelligitur, ut precedens unionem, sed ut consequens eam, ut quaedam proprietas naturalis.* S. Th. hic Q. 7. a. 13. ad 2. Sive præter gratiam substantialem fuit in Christo gratia habitualis.

Probatur 1. Quando subjectum aliquod receptivum est capax effectus, quanto aliquid est propinquius causæ, tanto perfectius participat influentiam talis effectûs; sed anima Christi est inter omnes animas & naturas propinquissima divinitati tanquam unicæ causæ gratiæ sanctificantis, & est capax hujus sanctitatis & gratiæ accidentalis; ergo eam recipit à conjuncta sibi divinitate.

2do: Non est neganda animæ Christi ulla perfectio nullam habens repugnantiam, cum illa sit maximum conferens decorem; sed gratia sanctificans est inter omnia dona supernaturalia summa perfectio, nullam habens repugnantiam; ut patebit ex solutione argumentorum.

3tio: Perfectio effectus formaliter præexistit in causa, nisi habeat specialem repugnantiam cum illa; sed gratia habitualis omnium hominum est effectus per Christum communicatus, ut infra dicitur, & ipsa nullam habet repugnantiam, imò summam convenientiam cum natura Christi; ergo. unde Joan. 1. v. 14. dicitur: *Vidimus gloriam ejus. gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*, de qua gratiæ plenitudine in Q. seq.

Obj. 1. Subjectum, quod habet aliquam formam eminenter, non habet eam formaliter: sic sol, quia eminenter est calidus, non habet calorem

rem accidentalem; sed Christus ratione sanctitatis substantialis eminenter continet omnem creaturam sanctitatem; ergo illam non habet formaliter.

Obj. 1. Distinguendo Maj Subjectum, quod habet aliquam formam eminenter extensivè & intensivè, non habet illam formaliter Con. quod continet tantum eminenter intensivè N. Explico: Tripliciter potest forma aliam eminenter continere. *1^{mo}*, Quia forma superior effectivè & formaliter præstat omnem effectum, quem præstat forma inferior, & tunc subjectum habens formam superiorem non indiget inferiore, ideoque forma superior excludit inferiorem; sic anima rationalis præstans effectum animæ sensitivæ excludit animam sensitivam Bruti. *2^{do}*, Quia forma superior non excludit inferiorem, quam eminenter continet; sic Essentia eminenter continet proprietates quas utique non excludit. *3^{io}*, Quia aliquem effectum formæ inferioris præstat, & quidem modo sublimiori, sed non omnes, & tunc rursus forma superior non excludit inferiorem; sic cognitio matutina vel cognitio creaturarum in essentiâ divinâ non excludit cognitionem vespertinam vel cognitionem creaturarum extrâ essentiâ divinam per proprias species, scientia increata Christi non excludit scientiam infusam, infusa non excludit acquisitam, eodem modo sanctitas accidentalis eminenter continetur in sanctitate personali, quia personalis aliquos effectus accidentales gratiæ modo tamen sublimiori præstat, quia tamen non tribuit omnem effectum, gratiam sanctificantem non excludit.

Obj. 2. Quod est incapax effectus formalis primarii, etiam est incapax formæ; sed Christus est inca-

incapax eff
et particip
Deus per n
tionem,

et, N. M
Deus sec
participatio
na subsistit
tam, secur
ta habitual
Obj. 3. S
cipativè, e
Consequens
it; ergo &
et, N. Se
nitarum fo
tue, cum
cum natura
secundum n
tivè, signifi
personam &
laque divina
filius Dei na
adoptio sup
tatem,

An gratia
infin

DICO
habit
cum hui
pernaturales
pernaturales
nalis.

incapax effectus primarii gratiæ sanctificantis, qui est participatio divinæ naturæ; qui enim verè est Deus per naturam, nequit esse Deus per participationem.

R. N. Min. Nec est implicancia, quod Christus sit Deus secundùm naturam & etiam sit Deus per participationem: nam ratione divinæ naturæ, in qua subsistit, est substantialiter Deus per Essentiam, secundùm naturam humanam ratione gratiæ habitualis est Deus per participationem.

Obj. 3. Si Christus per gratiam sit Deus participativè, ergo etiam erit Filius Dei adoptivus; Consequens est falsum: quia est Filius Dei naturalis; ergo & Antecedens.

R. N. Sequelam Maj. Disparitas est: quod significatura formale Dei cadat super naturam, & hinc, cum in Christo sit duplex natura, secundùm naturam divinam est Deus imparticipativè, secundùm naturam humanam est Deus participativè, significatum autem formale filii cadit super personam & cum in Christo sit unica persona, illaque divina, increata, consubstantialis Patri, est filius Dei naturalis, non autem adoptivus: cum adoptio supponat adoptivum esse personam extraneam.

Q U Æ S T I O II.

An gratia habitualis in Christo necessaria & infinita possitque esse intensivè major?

DICO 1. *Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem.* S. Th. hic Q. 7. a. 1. O. Explico: cum humanitas Christi elicuerit operationes supernaturales & meritorias de condigno præmiorum supernaturalium ad eas necessaria fuit gratia habitualis.

Prima Pars quoad operationes supernaturales *probat*ur: Potentia de se insufficientis ad eliciendam aliquam operationem nequit illam elicere, nisi adjuvetur & elevetur per aliquid intrinsecum sibi superadditum; sed natura humana Christi de se fuit insufficientis ad eliciendas operationes supernaturales; ergo debuit ei aliquid superaddi, per quod reddebatur proximè capax operari supernaturaliter; licet igitur anima Christi per unionis gratiam fuerit elevata ad esse divinum personale modo terminativo, non tamen ad esse divinum radicaliter, ut *quo* operativum & modo informativo, quod accipit per gratiam sanctificantem; ad operationem enim requiruntur duo principia; principium operativum ut *quod*, quam rationem habet humanitas per Verbi subsistentiam terminantem ipsam humanitatem. Deinde principium operativum ut *quo* vel virtus operandi, quæ est per modum formæ in hærentis in ipsa natura operante, & hæc est gratia, per quam redditur natura capax operandi supernaturaliter,

Obj. Humanitas Christi licet de se insufficientis elicere operationes supernaturales, sufficienter tamen elevatur per personalitatem Verbi humanitati intrinsecè communicatam; ergo ad operationes supernaturales non indiget gratia accidentali. *Ant.* probatur: Humanitas Christi, licet sit de se insufficientis elicere operationes Theandricas vel Dei viriles, per hoc tamen, quod sit hypostaticè unita Verbo, potest prædictas operationes elicere; ergo etiam operationes supernaturales. Sequela patet: quia operatio Theandrica est iongè perfectior qualibet operatione supernaturali.

R. N. *Ant.* Quia licet personalitas Verbi intrinsecè afficiat naturam humanam in Christo, non tamen

tamen illi
physica, f
atem est
um & sup
tica per d
ur à suppo
omnes ope
esse autem
minatio ph
nis, ad que
vinum, sec
ens & spec
nes operati
et omnes f
Secunda
tum super
gratia: P
12. Impl
tion præm
& tendenti
merum p
efficac præ
mum exce
quod oper
præmii sup
que gratia
dictum est
potuit ulla
Obj. 1.
elicitæ qua
ralia juxta
nihilomin
essent infi
elicientis
R. N.

tamen illi unitur per modum naturæ & formæ physicæ, sed per modum puri termini; maxima autem est disparitas inter operationem Theandricam & supernaturalem: operatio enim est Theandrica per denominationem moralem, quod elicitur à supposito, quod est infinitæ dignitatis, hinc omnes operationes Christi fuerunt Theandricæ. Esse autem operationem supernaturalem est denominatio physica fundata in ipsa entitate operationis, ad quod non sufficit principium *quod* esse divinum, sed etiam principium *quo* proximè influens & specificans operationem, unde neque omnes operationes Christi fuerunt supernaturales, licet omnes habuerint principium *quod* divinum.

Secunda Pars. Quod ad actus meritorios præmiorum supernaturalium in Christo necessaria fuerit gratia: *Probatur* Ratione S. Th. 1. 2. Q. 114. 2. 2. Implicat actum purè naturalem esse meritorium præmii supernaturalis: quia meritum est via & tendentia ad præmium, tanquam terminum, unde meritum per modum causæ principalis moraliter efficit præmium; ideoque cum supernaturale præmium excedat operationem naturalem, implicat, quod operatio naturalis sit meritoria de condigno præmii supernaturalis; sed operationes Christi absque gratiâ elevante sunt purè naturales: quia, ut dictum est, Christus absque gratia accidentali non potuit ullum actum supernaturalem elicere.

Obj. 1. Opera Christi absque gratiâ elevante elicita quamvis physicè loquendo essent purè naturalia juxtà conditionem principii proximè elicitivi, nihilominus forent supernaturalia moraliter: quia essent infinitè digna ratione personæ divinæ ipsa elicentis ut *quod*; ergo etiam meritoria.

R. N. Consequentiam: Quia ad salvandam

rationem propriam meriti non sufficit solus valor personalis, qui à supposito operante desumitur: sic enim operationes necessariae in Christo fuissent infiniti valoris, non tamen meritoriae ex defectu libertatis, uti etiam operationes elicitae à Christo absque gratia non essent meritoriae, licet essent infiniti valoris; quia ut aliquid sit in actu secundo meritorium, debet à merente ordinari vel formaliter vel virtualiter ad tale praeium, non poterat autem Christus sine gratia superaddita ex parte principii quo operantis ordinare sua opera ad consequendum finem supernaturalem.

Obj. 2. Satisfacere ad aequalitatem ex toto rigore iustitiae est plus quam mereri aliquod praeium supernaturale; sed opera Christi elicitae absque gratia essent satisfactoria de condigno; quia erant opera infiniti valoris.

R. N. Mi. Quia, ad satisfaciendum Deo pro peccatis, debet satisfactio ordinari in Deum ut ultimum finem supernaturalem, quod non potest fieri absque gratia; verum quidem est, quod sufficientia satisfactionis Christi, quantum est ex parte valoris, desumatur à supposito, non tamen ceterae conditiones excluduntur inter quas est relatio operis meritorii in Deum ut ultimum finem supernaturalem, quae absque gratia nequit haberi.

DICO 2. Gratia habitualis, potest dupliciter considerari: uno modo secundum quod est quoddam Ens & sic necesse est, quod sit Ens finitum... alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiae, & sic gratia Christi potest dici infinita, è quod non limitatur. S. Th. hic Q. 7. a. 11. O. Sive Christus habuit quidem plenitudinem gratiae, & ex parte subjecti & ex parte formae. Fuit tamen gratia in eo in esse entis physicè finita, in esse gratiae moraliter infinita.

Prima

Prima
Plenitudo
ta comm
edi; sed
adhibet gra
gratiae pri
membra &
clesia mer
ti plenitudo
dicitur Lu
Apostolis.
Stephanus
corum hab
sufficiebat
Deo sunt
Secunda
gratia ex p
lone & p
legem De
sto est tan
quanta se
potest; er
perfectior
recipit in
ceptivum
abundanti
Christi ra
maximè
tanquam
perfectiss
nitas Ch
dignitate
lectivè te
onimium
collectiv

Prima Pars conclusionis explicatur & probatur:

Plenitudo gratiæ ex parte subjecti est perfectio gratiæ commensurata statui, officio & conditioni subjecti; sed talem Christus habuit: quia Christus habuit gratiam capitis, quæ esset omnis alterius gratiæ principium, & per quam sicut caput in membra & vitis in palmites influeret in totius Ecclesiæ membra; habuerunt tamen etiam alii sancti plenitudinem gratiæ ex parte subjecti, unde dicitur Luc. 1. B. Virgo gratia plena. Act. 1. de Apostolis: *Repleti sunt Spiritu sancto.* Et Act. 6. *Stephanus plenus gratiâ;* Quatenus vid. quilibet eorum habebat eam gratiæ plenitudinem, quæ sufficiebat ad illum statum, ad quem specialiter à Deo sunt deputati.

Secunda Pars explicatur & probatur: Plenitudo gratiæ ex parte formæ est, quando tanta in intensione & perfectione est gratia, quanta secundum legem Dei ordinariam haberi potest; sed in Christo est tanta in intensione & perfectione gratia, quanta secundum ordinariam Dei legem haberi potest; ergo; Probatur Mi. Quo quis propius & perfectiori unione Deo conjungitur, eò majorem recipit influxum gratiæ: quia quanto aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto abundantius recipit influxum ipsius; sed anima Christi ratione unionis hypostaticæ est omnium maximè unita & propinqua Deo; ergo ab ipso tanquam causâ & authore gratiæ recipit gratiam perfectissimam & intensissimam, & ita, sicut dignitas Christi, excedit omnes omnium creaturarum dignitates, non tantum divisivè, sed etiam collectivè sumptas; ita gratia Christi excedit omnem omnium hominum & Angelorum gratiam etiam collectivè sumptam; ergo fuit in Christo plenitudo

do gratiæ ex parte formæ, etiam ab initio incarnationis.

Nec obstat illud Luc. 2. Iesus autem proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines, Quia Christus non profecit secundum ipsos habitus sapientiæ & gratiæ, sed secundum manifestationem majorem, in quantum crescente ætate perfectiores effectus sapientiæ & gratiæ exhibuit.

Tertia Pars probatur: Gratia Christi fuit accedens creatum receptum in subiecto finito, cui respondebat præmium finitum: gloria & visio beatifica finita, quæ non erat comprehensiva Dei; ergo fuit physicè finita; unde secundum absolutam Dei potentiam potuit intendi & augeri: cum nulla sit implicancia in hoc; nec ex parte virtutis divinæ, quæ est infinita, nec ex parte gratiæ, quæ secundum suam speciem non habet certum terminum sui augmenti: neque ex parte recipientis, quod habet potentiam obedientialem capacem recipiendi terminum Syncategorematicè infinitum; secundum ordinariam tamen Dei potentiam non potuit augeri, Cum juxta dicta Christus habuerit plenitudinem gratiæ ex parte formæ & secundum hæc explicandus est S. Th. hic Q. 7. a. 12.

Quarta Pars probatur: Gratia quæ in esse gratiæ cõtinet effectus infinitos est infinita, sed gratia Christi in esse gratiæ continet & causat effectus infinitos: tum quia est principium quo meriti habentis valorem infinitum, & ita quia est in subiecto hypostaticè unito Deo, gratificat subiectum, & dignificat actum meritorium, modo quodam infinito; tum quia est principium universale omnis gratiæ omnibus hominibus, tametsi forent infiniti,
collatæ

collatæ vel conferendæ, adeoque habet virtutem infinitorum effectuum causativam.

Obj. Gratia Christi non tantum est moralis, sed etiam physica causa omnis gratiæ; ergo non tantum est infinita in esse gratiæ, sed etiam in esse physico.

R. Distinguendo Ant. est causa principalis physica N. instrumentalis physica Con. Gratia ergo habitualis Christi in humanitate subjectata concurrens instrumentaliter ad omnes gratias, cum ipsa humanitas sit instrumentum conjunctum, per quod divinitas omnes effectus supernaturales in nobis causat, ad hoc verò non infinita sed finita entitas sufficit.

Ex dictis colliges: Gratiam habitualem Christi esse ejusdem speciei secundum speciem physicam cum nostra; idem enim est specificativum gratiæ in Christo, & in pura creatura vid. ipsa natura divina, quæ talis est, in esse moris tamen gratia Christi videtur specie diversa à gratia puræ creaturæ; quia ob conjunctionem cum Verbo trahit infinitum valorem, & fit principium generale omnis gratiæ, quæ in hominibus reperitur.

Q. An & quæ virtutes tam infusæ quàm acquisitæ fuerint in Christo?

R. 1. Fuerunt in Christo omnes virtutes infusæ tam Theologicæ quàm morales, quæ non includunt aliquam imperfectionem cum ejus statu & unione hypostaticâ impossibilem.

Ratio est: Quia in Christo fuerunt actus virtutum supernaturalium; ergo etiam ipsæ virtutes, quæ sunt principia connaturalia talium actuum. Præterea fuit in Christo perfectissima gratia habitualis, quæ in ordine supernaturali se habet tanquam essentia, ex qua virtutes Theologicæ & mo-

rales infusæ tanquam proprietates ex radice pro-
manant *Dixi*: quæ non habent imperfectionem
repugnantem unioni hypostaticæ: quia sunt ali-
quæ virtutes, quæ supponunt absentiam visionis
beatificæ, quales sunt fides, quæ supponit obje-
ctum non visum, spes, quæ versatur circa beatitu-
dinem nondum possessam; & licet Christus spe-
raverit gloriam corporis non tamen spe Theolo-
gicâ, sed alterius rationis, prout quodlibet bo-
num arduum possibile obtineri speratur, sed non
in ordine ad beatitudinem primarium spei Theo-
logicæ objectum, quod respectu Christi viatoris
& simul comprehensoris attingibile non erat, unde
nec alia in ordine ad ipsum per actum spei Theo-
logicæ à Christo sperari poterant: implicante enim
actu & objecto primario alicujus virtutis, quod
ipsi virtuti dat speciem, implicat etiam ipsa virtus,
aliquæ autem virtutes supponunt peccatum, nem-
pe proprium, talis est pœnitentia, quæ in Chri-
sto implicat, quia nec peccavit, nec peccare po-
tuit, aliæ deniq; supponunt motus inordinatos con-
cupiscentiæ Christi, ut continentia quæ cum repug-
nent statui beatifico non habent locum in Christo.

R. 2. Fuerunt in Christo dona spiritûs sancti &
gratiæ gratis datæ. Priora quidem: quia anima
Christi maximè fuit apta moveri à Spiritu sancto
juxtà illud Luc. 4. v. 1. *Jesus autem plenus Spiritu
sancto regressus est à Jordane: Et agebatur à Spiritu
in desertum*, dona autem Spiritus sancti sunt illæ
perfectiones, secundum quas anima est apta mo-
verì à Spiritu sancto; gratiæ autem gratis datæ or-
dinantur ad fidei & doctrinæ spiritualis manife-
stationem; sed Christus erat principalis Doctor fi-
dei & spiritualis doctrinæ; ergo.

Dices 1. In Christo non fuit donum timoris:
quia

quia timo
porit mal
citer evit
um; ergo
sancti. 2.
nim fuit
sufflet ex e
er claram
et scienti
am Angel
qui etiam
tura à se
Deo specie
re. Ad
nga mali
mali culpa
um, qui e
rentis infli
tio est solu
timor Dei:
separatio
quod respic
dum quod
sicut an
vultur in
tius virt
bonum: m
tione dona
timor, se
jus posse
Ad 2.
tio & pra
tenus lun
eodem it
tus igitur

quia timor dicit fugam mali, proinde præsupponit malum culpæ vel pœnæ possibile & difficulter evitabile, quod in Christo non habuit locum; ergo non fuerunt in eo omnia dona Spiritûs sancti. 2. Non fuit in Christo donum prophetiæ: si enim fuisset hoc donum etiam in Christo, fuisset ex eo, quod futura & absentia novisset, vel per claram Dei visionem in speculo divinitatis, vel per scientiam infusam; sed hoc non sufficit; aliàs etiam Angeli & Beati donum prophetiæ haberent, qui etiam in speculo divinitatis vident absentia & futura à sensibus hominum remota, quæ ipsis à Deo specialiter revelantur.

Ad 1. Distinguendo: Timor secundariò est fuga mali culpæ vel pœnæ Con. primariò est fuga mali culpæ vel pœnæ N. secundùm actum primarium, qui est summa divinæ Majestatis absolutè potentis infligere malû reverentia, fuit timor in Christo est solutio S. Th. hic Q.7.a.6.O. *In Christo fuit timor Dei: non quidem secundùm quod respicit malum separationis à Deo per culpam, neque etiam secundùm quod respicit malum punitionis pro culpa; sed secundùm quod respicit ipsam divinam eminentiam prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentia movebatur in Deum à Spiritu sancto acta. & ad 1. Habitus virtutum & donorum propriè & per se respiciunt bonum: malum autem ex consequenti. . . ideo de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cujus potestate aliquod malum infligi potest.*

Ad 2. Quod ad prophetiam requiratur prævisio & prædictio, non quomodocunque, sed quatenus sunt illa remota à sensibus hominum, qui in eodem statu cum prophetante communicant; Christus igitur, quia erat simul viator & comprehensor,

& quâ viator conveniebat non tantum in natura, sed etiam in eodem statu cum hominibus, ideò rectè erat Propheta; Angeli autem & Beati, cum sint tantum comprehensores, neque in statu cum hominibus communicent, ideò Prophetæ dici nequeunt.

R. 3. Christus habuit virtutes naturales per se acquisitas (id est, quæ ex natura sua petunt per actus frequentatos acquiri, licet per accidens possint esse infusæ) non habentes repugnantiam cum unione hypostatica sibi à primo instanti conceptionis infusas.

Ratio primi est : Tum quia humanitas Christi non tantum debebat perfici secundum potentiam obedientialem per virtutes supernaturales, sed etiam secundum potentiam naturalem per actus & virtutes naturales; tum quia in Christo fuit inclinatio in honestum naturale similis inclinationi, quæ in nobis est, hæc autem inclinatio debebat posse perfici per virtutes naturales, quibus tanquam principiis proximis reduceretur in actum, aliàs fuisset frustranea.

Ratio secundi : Quod communiùs à Thomistis asseritur, est: quia perfectius est habere omnes virtutes etiam naturales à primo conceptionis instanti, consequenter, quod Christus fuerit pro omni tempore simpliciter bonus, omni bonitate tam naturali quàm supernaturali, quàm quod pro aliqua parte temporis caruerit aliquâ bonitate morali nempe naturali; Christo autem tribuendum est, quod est perfectius & dignius.

Nec est paritas inter scientias naturales & virtutes naturales. Imò, quia si Christus habuisset à primo instanti conceptionis scientias naturales infusas & non acquisivisset aliquas scientias, fuisset aliqua
poten-

potentia naturalis perpetuò suo exercitio & officio privata: vid. intellectus agens, quod videtur esse aliqua deordinatio. Hoc non admittitur, si virtutes naturales Christo fuerint infusæ, 2dò Scientia beata & infusa tribuit Christo cognitionem objectorum etiam naturalium nec scientia acquisita facit subiectum simpliciter bonum, unde ad aliquod tempus carere scientiis naturalibus per se acquisitis non est in Christo aliqua imperfectio; sed sanctitas supernaturalis & hypostatica non tribuit formaliter bonitatem naturalem. Cum igitur Christus sit capax bonitatis naturalis, & ea tribuatur per habitus virtutum naturalium, si Christus aliquo tempore has non habuisset, caruisset pro aliquo tempore bonitate aliquâ simpliciter dictâ.

Dices 1. In Christo non fuit finis virtutum moralium naturalium: nempe refrænatio passionum inordinatarum; ergo non fuerunt in eo virtutes naturales.

æ. N. Consequentiam: Est enim refrænatio passionum inordinatarum finis secundarius virtutum moralium, primarius autem finis est disponere appetitum ad promptè & faciliter eligendum in materiâ virtutis conformiter ad rectam rationem, quâ ratione istæ virtutes dantur in Beatis & B. V.

Dices 2. Christus non habuit aliquam difficultatem vincendam circa actus naturaliter honestos eliciendos; ergo non indigebat habitibus virtutum moralium naturalium.

æ. Distinguendo Ant. Christus non habuit difficultatem subiectivam, ortam ex inclinatione contraria naturæ reddente operationem honestam difficilem Con. non habuit difficultatem objectivam ortam ex natura objecti N. eò quod objectum per suam

scientiã naturalem propositum non potuisset trahere appetitum ad tam suavem & connaturalem sui prosecutionem sine habitibus virtutum moralium; sic beata Virgo & primi parentes in statu innocentie non habuerunt difficultatem subjectivam ex parte naturæ retrahentis, & tamen habuerunt habitus naturales moralium virtutum.

Dices 3. Christus elicuit actus virtutum perfectissimos; ergo semper elicuit actus virtutum supernaturalium, qui sunt perfectiores actibus virtutum naturalium, vel ad minus semper ex motivo virtutis supernaturalis actus virtutum elicuit.

R. *Distinguendo Ant.* Christus elicuit actus perfectissimos vel ex fine intrinseco, vel ex fine extrinseco, vel ex fine operis, vel ex fine operantis *Con.* semper ex motivo & fine intrinseco operis *N.* ad hoc, ut Christus perfectissime & supernaturaliter operaretur, non erat necessarium, ut omnia ipsius opera ex fine intrinseco supernaturali procederent, sed sufficiebat, quod ex fine extrinseco supernaturali procederent: cum honestas moralis naturalis non sit incompatibilis cum honestate supernaturali, sed eidem subordinetur, & sub imperium Charitatis cadere possit.

QUAE

Quid f
nam

DICO.

prop
bristi
substantiale
non unio
undum sit
per persona

Prima P

ne sanctifi

th ipsa tari

que concre

tum formal

si unum et

non est rati

anima; un

ferendi; u

rio formal

animam ne

mam, sed

talitatis di

ad subje

sanctum f

que est sig

Verbi; qu

horum ext

icandi.

Obj. 1.

est ratio fe

Q U Æ S T I O III.

*Quid formaliter sanctificet naturam humanam, an unio? an personalitas Verbi?
an natura divina?*

DICO. Gratia Christi habet infinitum effectum... propter unitatem divinæ personæ, cui anima Christi unita est. S. Th. hic Q. 7. a. 11. ad 2. sive substantialem sanctitatem naturæ humanæ tribuit non unio hypostatica nec personalitas Verbi secundum sibi propria sed divinitas naturæ humanæ per personalitatem Verbi applicata.

Prima Pars probatur: Unio & applicatio formæ sanctificantis ad subiectum sanctificatum non est ipsa ratio formalis sanctificandi: quia in quocunque concreto unio extremorum non est significatum formale concreti: cum significatum formale sit unum ex extremis; sic in homine unio animæ non est ratio formalis constitutiva hominis, sed anima; unio relationis non est ratio formalis referendi; unio albedinis ad parietem non est ratio formalis dealbens; unio gratiæ sanctificantis animam non est ratio formalis sanctificans animam, sed ipsa gratia habitualis; sed unio personalitatis divinæ est applicatio formæ sanctificantis ad subiectum sanctificatum; quia in hoc concreto: *Sanctum substantialiter* extrema sunt humanitas, quæ est significatum materiale, & personalitas Verbi; quæ est significatum formale; ergo unio horum extremorum non est ratio formalis sanctificandi.

Obj. 1. Quod excludit à subiecto peccatum, est ratio formalis sanctificans: quia unus effectus formæ

formæ substantialiter sanctificantis est excludere peccatum; sed unio hypostatica excludit peccatum etiam levissimum, imo tollit ipsam potentiam peccandi; ergo.

R. Distinguendo Maj. Quod excludit peccatum formaliter est ratio formalis sanctificans Con, quod excludit applicativè; est ratio formalis sanctificans N, unio autem hypostatica, sicut est applicatio formæ sanctificantis, sic etiam tantum applicativè excludit peccatum; sed ipsa sanctitas substantialis in concreto est forma sanctificans: quia expellit peccatum per modum formæ ipsi directè & immediatè oppositæ.

Obj. 2. Per hoc humanitas est formaliter sancta, per quod fuit formaliter deificata; sed per unionem fuit formaliter deificata: quia per illam fuit humanitati conjuncta divinitas in unitate suppositi; ergo.

R. Per hoc humanitas fuit formaliter sancta, per quod fuit formaliter deificata, sicut per formam Con, sicut per applicationem N.

Secunda Pars probatur: Ratio formalis sanctificandi est sanctitas formalis, sed personalitas Verbi secundum sibi propria, & secundum id, quod addit ad rationes absolutas, non est sanctitas formalis: quia sanctitas formalis dicit formaliter perfectionem: reddit enim objectum congruum divinæ dilectionis; relationes autem secundum id, quod superaddunt prædicatis absolutis, non important perfectionem, ut dictum est in 1^a parte, & si personalitates divinæ essent sanctitates formales, essent in Deo tres sanctitates, sicut sunt tres personalitates & consequenter essent tres sancti in divinis substantivè.

Obj. 1. Illud quod immediatè unitur humanitati,

ai forma
onalitas, u
ta, uniu
ritatur:
ntelligit
llecura ter
ationem
e accepta
em in illo
personalita
ucatis abte
em: ex e
tatem, e
personal
R. N. N
illo priori
onalitati,
determination
atque am
liatio Dei n
a natura, c
filium Dei;
gitur filiat
humanitati
nature, in
naturalis,
ad heredit
consequent
et beatitu
iter sed ta
Obj. 2.
communic
naturâ divi
o, human
ta; ergo
Pars

tati formaliter sanctificat humanitatem, sed personalitas, ut virtualiter à prædicatis absolutis distincta, unicitur immediatè humanitati; ergo. *Maj. probatur*; Quia pro illo priori, quo humanitas intelligitur unita personalitati Verbi, intelligitur affectata terminum suæ prædestinationis; nempe filiationem Dei naturalem; ergo intelligitur grata & accepta Deo, ac proinde formaliter sancta; item in illo priori, quo intelligitur humanitas unita personalitati, antequam intelligatur unita aliis prædicatis absolutis, habet jus ad æternam beatitudinem: ex eadem enim radice habet jus ad hæreditatem, ex qua habet esse filium; sed ex unione ad personalitatem est filius Dei naturalis. Ergo.

R. N. Maj. Cujus probatio distinguitur: pro illo priori, quo intelligitur humanitas unita personalitati, intelligitur affectata terminum suæ prædestinationis inadæquatum & incompletum *Con. adæquatum N.* quia hic non est filiatio sola, sed filiatio Dei naturalis; licet enim filiatio, ut præcisa à natura, constituat filium, non tamen constituit filium Dei; ergo pro illo priori, pro quo intelligitur filiatio aut personalitas Verbi communicata humanitati, cum præcisione aut exclusione divinæ naturæ, intelligeretur filius, non tamen filius Dei naturalis, quocircà in illa præcisione non habet jus ad hæreditatem Dei, quæ est æterna beatitudo, consequenter humanitas non est grata vel acceptata ad beatitudinem, & consequenter nec formaliter sed tantum initiativè sancta.

Obj. 2. Si per impossibile personalitas Verbi communicaretur humanitati, non communicatâ naturâ divinâ, vel alio prædicato divino absoluto, humanitas esset formaliter substantialiter sancta; ergo ratio formalis sanctificans est persona-

litas; *Ant. probatur*: Compositum illud ex personalitate Verbi & humanitate esset filius Dei, haberet jus ad hæreditatem cælestem, eliceret opera infiniti valoris, esset impeccabile; ergo esset formaliter sanctum & gratum Deo.

R. N. Ant. Quia personalitas non est formaliter sanctitas, sed terminus necessariò connexus cum formali sanctitate; unde, si per impossibile personalitas absque natura uniretur humanitati, complexum illud non importaret sanctitatem formalem, sed solum quendam terminum, qui illam exigeret. *Ad Probat. dico*: Complexum illud non fore filium Dei; quia filius Dei importat communicationem in natura, nec habiturum esse jus ad hæreditatem; quia jus ad hæreditatem præsupponit communicationem in natura; nec opera essent habitura valorem infinitum physicum vel moralem formaliter, sed exigitive. Excluderetur quidem potestas peccandi, sed non per formam directè & immediatè oppositam.

Tertia Pars probatur: Forma, quæ per essentiam est sanctitas tribuit immediatè effectum formalem sanctitatis subjecto capaci, cui unitur; sed divinitas est per essentiam sanctitas, & unitur anime Christi capaci formalium effectuum sanctitatis; ergo tribuit ipsi immediatè formalem effectum sanctitatis.

Obj. 1. Quod mediante alio sanctificat, vel ratione alterius, hoc non est ratio formalis sanctificandi; sed divinitas ratione alterius sanctificat; ergo. *Mi. probatur*: Divinitas in tantum sanctificat humanitatem Christi, in quantum ipsi unitur; sed non nisi mediante personalitate unitur; ergo non nisi hæc mediante sanctificat.

R. N. Mi. cujus probatio distinguitur: divinitas

tas sanctificat, in quantum unitur, ita ut ratio sanctificandi sit unio N, ita ut applicatio ipsa sit unio, & consequenter personalitas sit ratio applicandi vel uniendi Con. ratio, quare formalis sanctitas applicetur humanitati; est personalitas, ratio autem quare humanitas sit formaliter sancta est Deitas; quod enim est ratio, quare Verbum sit sanctum formaliter, est etiam ratio, cur humanitas unita Verbo sit sancta.

Obj. 2. Si humanitas sit sancta per divinitatem, ergo vel est sancta sanctitate creatâ vel increatâ: non increatâ: quia hæc soli Deo propria est; non creatâ: quia aliâs sancta esset per formam creatam distinctam à divinitate.

¶. Esse sanctam sanctitate increatâ, non quæ sit eadem cum humanitate: est enim soli Deo proprium, quod sit sanctus sanctitate imparticipatâ, sed quæ est unita humanitati in unitate personæ, & consequenter sanctitate participatâ.

Obj. 3. Si divinitas sit ratio sanctificans, vel sanctificat terminando, vel informando: non terminando: quia ratione sui non terminat, sed ratione personalitatis, cum qua est identificata; non informando: quia implicat.

¶. Distinguendo ultimam partem: Implicat, quod divinitas sanctificet informando physicè, quasi communicet sanctitatem per modum actûs in humanitate recepti Con. moraliter N, igitur natura divina sanctitatem communicat humanitati, in quantum humanitas ex mediata unione ad naturam divinam sortitur immediatè formales effectus morales sanctitatis, juris ad hæreditatem cælestem, summæ amabilitatis, impeccabilitatis.

Obj. 4. Si ratio formalis humanitatem sanctificans sit natura divina; ergo principium quod

non est solum Verbum, sed omnes tres personæ: quia, quod convenit Filio ratione prædicati communis, convenit omnibus personis; ergo si Filius ratione divinæ naturæ sanctificavit, omnes personæ ut *quod* sanctificarunt; consequens est absurdum; ergo & antecedens.

R. N. Sequelam, cujus probatio distinguitur: Quod convenit ratione prædicati communis absolutè sumpti est commune omnibus personis Con. quod convenit ratione prædicati communis determinati & applicati per personalitatem, hoc convenit omnibus personis N. forma igitur sanctificans substantialiter fuit natura divina, quæ est prædicatum absolutum, quæ tamen sanctificavit, ut determinata & applicata per Verbi personalitatem, & ideò non omnes personæ sanctificarunt ut *quod* per modum termini intrinseci humanitatis, licet omnes concurrerint in genere causæ efficientis, inquantum ad talem effectum à divina natura, ut per personalitatem Verbi applicata, participandum effectivè unierunt humanitatem.

QUÆSTIO IV.

Quomodo per quid & quorum Christus sit Caput?

Sicut Ecclesia vocatur Corpus mysticum per Analogiam ad corpus naturale, ita Christus dicitur caput Ecclesiæ per Analogiam ad caput, quod tres habet prærogativas præ cæteris membris, quibus præeminet, 1. ordine: quia est prima pars in corpore. 2. Perfectione: quod in capite vigeant omnes sensus tam interiores quàm exteriores. 3. Virtute: quod virtus & motus à capite in omnia cætera membra derivetur. DICO

DICO

virtute &

Probatur

Nec est caput

2. Ratic

nalis inve

ad Eccle

nia est pri

ut omnis

tione: qu

patia totu

re: quia

omnia mem

De plenitud

Obj. Ch

1. Quia C

sed Christus

Christus inf

non debet

membra etia

non datur

Deus, 1. ad

non influit

tas; ergo ne

tatem Chris

4. Ad

membrum I

in membra

men influxu

membris, e

t. Cor qu

ta visibilitate

sanctus, qu

paratur con

DICO 1. *Christus est caput Ecclesie propria virtute & autoritate.* S. Th. hic Q. 8. a. 6. O.

Probatur 1. Ex illo Apost. ad Coloss. 1. v. 18. *Ipsa est caput corporis Ecclesie.*

2. Ratione omnes 3. prerogativæ capitis naturalis inveniuntur mysticè in Christo respectivè ad Ecclesiam: est enim primum membrum: quia est primus prædestinatorum, causa & exemplar omnis prædestinationis, est primus in perfectione: quia superat perfectione & plenitudine gratiæ totum corpus Ecclesie; est primus in virtute: quia habet virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesie juxta illud Joan. 1. v. 16.

De plenitudine ejus nos omnes accepimus.

Obj. Christus non potest esse caput Ecclesie: 1. Quia Caput corporis est membrum corporis; sed Christus non est membrum Ecclesie; ergo. 2. Christus influit in omnia Ecclesie membra, ergo non debet dici caput, sed cor, quod in omnia membra etiam in ipsum caput influit. 3. Capitis non datur aliud caput *Caput Verò Christi est Deus*, 1. ad Cor. 11. v. 3. 4. Humanitas Christi non influit in gratiam aliorum hominum, sed deitas; ergo non secundum humanitatem, sed Deitatem Christus est Ecclesie caput.

4. *Ad 1.* Mysticum Ecclesie caput non est membrum Ecclesie: quia ipsum quidem influit in membra Ecclesie & ideò est caput, nullum tamen influxum & dependentiam habet à cæteris membris, & ideò non est propriè membrum. *Ad 2.* Cor quidem influit in alia membra, sed non ità visibiliter sicut Caput influit, ideoque spiritus sanctus, qui invisibiliter influit in Ecclesiam, comparatur cordi, & Christus qui visibiliter per-

superiores à se constitutos & per Sacramenta influunt, comparatur capiti, quod non latet, sicut cor, sed oculis expositum est. *Ad 3.* Capitis Mystici datur aliud caput nempe Deus. *Ad 4.* Deitas authoritativè & principaliter influunt in gratiam, humanitas instrumentaliter, ut instrumentum divinitati conjunctum causat gratiam.

DICO 2. *Eadem est secundam essentiam gratia personalis, quæ anima Christi est justificata, & gratia ejus secundam quam est caput Ecclesie justificans alios differt tamen ratione.* S. Th. hic Q. 8. a. 5. O. sive per ipsam gratiam habitualem ut connotantem unionem hypostaticam Christus est caput Ecclesie.

Probatur: Illa gratia propriissimè Christum constituit in ratione capitis, ex qua in omnia membra gratia & vita spiritualis derivatur: quia hæc est potissima conditio capitis, quod ex eo vita & motus in cætera membra derivetur; sed talis gratia est habitualis gratia, connotans unionem hypostaticam: quia Christus derivat gratiam in cætera membra merendo omnibus hominibus gratiam merito infinito; principium autem quo meriti infiniti est gratia habitualis, non nudè sumpta, sed ut connotans unionem hypostaticam, ex qua derivatur infinitus valor in satisfactionem & merita Christi.

Obj. Conditiones capitis perfectius reperiuntur in gratia unionis, quàm in gratia habituali: nam illa gratia est perfectior, ex qua derivatur infinitus valor in opera Christi, per quæ influunt in alia membra; ergo Christus per gratiam unionis constituitur caput.

R. Negando Ant. Quia primaria conditio capitis est, ut habeat influxum effectivum in alia membra;

membra; licet autem omnis gratia in Christo sit ultimatè a gratia unionis tanquam principio radicali, quia tamen non est ex illo tanquam principio quo effectivo, ideò non est ratio formalis capitis in Christo.

DICO 3. *Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum.* S. Th. hic Q. 8. a. 4. O.

Probatur: Respectu illorum Christus est actu caput, qui actu uniuntur Christo in corpore mystico, & recipiunt aliquem influxum vitalem supernaturalem à Christo; sed non tantum omnes homines fideles etiam peccatores & quoad animam & quoad corpus, sed etiam Angeli talem influxum recipiunt; ergo. *Probatur Mi.* Imprimis homines fideles influxum à Christo recipiunt: Deo etenim fideles iusti uniuntur per charitatem, cujus influxum à Christo recipiunt, iniusti autem Deo uniuntur saltem per fidem, & ratione hujus aliquem influxum supernaturalem imperfectè vitalem recipiunt in anima; utrique autem influxum in corpus recipiunt: quia per virtutem Christi corpus exhibet membra sua arma justitiæ, & per influxum Christi corpus immortalitate donabitur. Deinde Angeli, præterquam quod eos Christus in perfectione gratiæ excedat, iisque imperio & gubernatione præsit, recipiunt à Christo influxum gratiæ & gloriæ, non quidem essentialis, sed accidentalis v. g. illuminationum aliquarum & gaudii accidentalis.

Obj. Caput & membra sunt ejusdem naturæ, sed Christus & Angeli non sunt ejusdem naturæ; ergo Christus non potest dici caput Angelorum.

R. Distinguendo Mi. Christus & Angeli non sunt ejusdem naturæ genericæ, inquantum perti-

nent ad genus substantiarum intellectualium N. specificæ, secundum quod Angeli sunt substantiæ intellectuales incorporeæ & Christus pertinet ad substantias intellectuales corporeas Con. quia verò Christus principaliter influit in animas, hinc in ea ratione, quâ influit Christus principaliter, Angeli & homines conveniunt, quod sufficit ut sit verè caput Angelorum, maxime cum sit convenientia in esse gratiæ & quoad dona supernaturalia, in quibus principaliter consistit unio corporis mystici & ejusdem cum capite communicatio.

Q. 1. Quomodo Christus sit caput infidelium?

✠ Illorum Christus est caput non actu, sed in potentia, & quidem actu non sunt membra Christi: quia non pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi; quia verò, quamdiu vivunt, possunt fieri membra Ecclesiæ, hinc infideles viventes sive prædestinati sive reprobis sunt in potentia, ut sint membra Christi, quæ potentia fundatur in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem generis humani, & in libertate arbitrii humani.

Dices. Christus est actu caput infidelium: quia actu in illos influit supernaturaliter: cum ipsi recipiant gratias sufficientes per Christum.

✠ Non sufficere quemlibet influxum supernaturalem ad actuale membrum, sed talem, ex quo membrum suo capiti vitaliter uniat, unde membra mortua sunt æquivocè membra: quia nullum motum vitalem à capite recipiunt; ideoque influxus gratiæ excitantis in infidelibus potius est à Christo generante in vitam spiritualem, quam à capite vitam spiritualem suo influxu conservante. In quo differunt à damnatis, in quos Christus nec actu influit, nec in potentia: quia ipsi non sunt in potentia, ut Christo per gratiam

uian-

bianeur
Omnes ac
potentia
decipiendo
Christo
am asver
est caput ec
Secundâ co
em; Ter
dem: Qu
in potentia
ad actum v
nem; Q
vultis, q
lumes in
finitis, q
ter definit
sunt in pot

D I

Q Uia
rum l
tate; jusde
pua, sed e
est mente
fuisse. Ut
eo, quod
fuisse, tur
lem illi, c
hinc eand
sto omnib
nientib

uniuntur ; hinc S. Th. Q. 8. a. 3. O. Ommes ad Christum Velut caput vel actu vel potentia pertinentes complectitur his verbis ; *Accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum ; sed secundum diversos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem ; Tertio eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem ; Quarto vero eorum, qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem ; Quinto vero eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nunquam reducetur ad actum : sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi : quia iam nec sunt in potentia, ut Christo uniuntur.*

DISPUTATIO VIII.

De Scientia Christi.

Quia ex præcedentibus certum est Christum verum Deum & verum hominem esse, ac in unitate ejusdem personæ à natura divina non solum corpus, sed etiam animam & quidem rationalem id est mente sive intellectu præditam assumptam fuisse. Ut S. Th. hic Q. 1. a. 4. O. Probat tum ex eo, quod Christus dicatur in Evangelio miratus fuisse, tum ex eo, quod assumpserit naturam similem illi, quæ per peccatum lapsa redimenda erat; hinc eandem animæ rationalis potentiam in Christo omnibus modis statui ipsius & dignitati convenientibus perfectam fuisse extra dubium est, de qua perfectione sit.